I

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sextâ Novembris 1713.

M. ARMANDO-JOSEPHO COLLOT, Doctore Medico, Præside.

An Renum & Vesicæ morbis Diuretica calida ?

I.

HOMO nascendo moritur. Dolor ipsius vitæ comes individuus. Hinc cùm ad vitam unus pateat aditus, ad interitum patent innumeri. In sanguine utriusque causas adesse quis negaverit ? Quandiu sanguis placido donatur motu particulisque homogeneis tum fibrosis, tum serosis conflatus, colore purpureo florescit, tamdiu sanitas firma viget, functionesque omnes ritè perficiuntur. Quòd si liquor ille heterogeneis & crassioribus fœtus particulis, jugumque ferre indocilis, solidorum motui obsistat, lentiùs proinde circumagatur, functionum integritate læsâ, quanta morborum omnis generis humano corpori imminebit cohors ! Vitiato tam pretioso latice, aut stagnante, mille nascentur ægritudinum species. Si in cerebro moras trahat, Cephalalgiam; si vasis ruptis extra cancellos abripiatur, Apoplexiam afferet ; pulmones difficiliùs permeat ? Pleuritidi pulmonumque inflammationi ansam præbebit : jecoris, lienis, & mesenterii anfractus tardigradus subit ? Obstructis undique & compressis vasis hydropes frequentes excitabit : salsedine, crassitie, ostiola vasorum renalium aperit, rodit ? Urinas cruentas reddi, renum ulcera calculosque nasci necessum est : nimium dissolutus & fluidior factus fertur ad renes ? Vesica tunc præ nimia urinæ quantitate magis ac magis ampliata *tonum* suum amittit & *elaterem*, nec habet unde urinam expellat foras : hinc tam diræ ac plenæ difficultatis urinæ suppressiones, quibus hominum pars maxima vexatur ut plurimùm. Gravibus his affectibus mederi intendis ? *Anodyna* quibus sanguinis salsedo diluatur adhibeas : Salsa verò acria, aperientia, quin & thermales & metallicas aquas (quas qui adeunt arthritici redeunt calculosi,) uno verbo, *Diuretica* acria calida memineris nunquam esse præscribenda.

II.

MIRA machinæ humanæ compages ! partes in eâ nullæ quæ suum ad elaborationem sanguinis symbolum non conferant. Hæ alimenta in substantiam lacti similem seu chylum convertunt,

illæ chylum attenuando & verberando in ſanguinem immutant ; aliæ veluti totidem colatoria ſanguinem à ſuperfluis liberant. Has inter, renes, ureteres, veſicam & urethram non ultimo loco numerabis. Renum ſubſtantia carnoſa eſt & denſa, ne debilior & laxior reddatur aſſiduâ ſeri copioſioris acceſſione : figurâ phaſeolum renes exprimunt ; hinc & inde ſiti ſunt & gemini ob ſecernendi liquoris abundantiam : à renibus ſecretum ad veſicam per ureteres defertur *ſerum :* hi duo ſunt canales, teretes & oblongi, duplici membranâ contexti ; in ſanis quidem exiles, in calculoſis ampliati priſtinum vix unquam reſumunt *tonum.* Veſica ſuperflui ſeri receptaculum globoſa eſt & rotunda triplici membranarum complexu conſtans : externa & communis peritonæo accepta referenda eſt ; propriarum verò altera craſſior & validior expulſionem urinæ promovet ; altera verò intima tenuiorque, utpote ſenſu exquiſitiori donata muco obducitur, ne liquoris mordacitate offendatur. Urina veſicæ capacitate contenta vel pondere vel acrimoniâ moleſta, ad voluntatis nutum foràs expellitur per canalem *urethram* dictum. Hic veſicæ collo continuus ad extremum uſque colem protenditur. Dum viget harumce partium œconomia, functiones cuique propriæ bellè perficiuntur. Sed heu ! Quàm facilis earum à ſtatu naturali receſſus ! Quàm turbari promptæ ! Quàm proclives in vitium ! Quot dolorum, Quot cruciatuum parentes exiſtunt!

III.

VARIA fieri noxa in reddendâ urinâ poteſt. Si guttatim deſtillat, *Stranguria ;* ſi cum ſummâ difficultate redditur, *Dyſuria ;* ſi prorsùs cohibetur, *Iſchuria ;* ſi majori quàm par eſt quantitate excernitur, *Diabetes* ſeu Hydrops ad matulam vulgò nuncupatur. Si tortor in veſicâ calculus continetur, urina cum mictionis aſſiduâ cupiditate difficulter redditur, fitque quoddam veluti ſtillicidium, ſic ut vix cohiberi urina poſſe videatur : nonnunquam licèt cœperit perrumpere, mox tota intercipitur, acciditque hoc modo mictio interciſa. Renibus etiam exulceratis in partem mali venit & veſica, liquoris acrimoniâ laceſſita ; criſpatur enim & ſpiſſior evadit, fungi in eâ generantur, minorem proinde liquoris copiam continet, unde ſæpè ſæpiùs & cum dolore vehementi ad expulſionem urinæ ſollicitatur. In *Gonorrhæis* virulentis *Urethra* canalis ſemini & urinæ communis exulceratur ; hinc criſpatis & induratis ipſius fibris ita conſtringitur, ut urinæ nonniſi difficulter & cum dolore poſſint foràs excerni. Ad tempus differtur urinarum excretio, ubi calculus ureteribus contentus nephriticos dolores movet atrociſſimos, quibus vomitus adjungitur. Lapis quoque in Urethræ canaliculo retentus fluxum urinæ eò uſque prohibet dum partes relaxatæ magis corpori adventaneo & præternaturali tranſitum præbuerint. Cùm inflammatio renes & veſicam occupat, retinetur omnis urina ;

idem vitium accidit si nimiâ hujus receptaculi dilatatione deperditus fuerit ipsius *tonus*, concideritque vis *elastica* seu comprimens successu temporis & remediis convenientibus restituenda. Hydropem ad matulam seu lotii profluvium immoderatum (affectum quidem minùs molestum, periculi tamen & aleæ plenum) renum laxitas infert, sanguinis partiumque omnium colliquatio.

IV.

E Triplici medicamentorum familiâ quæ eruuntur ad morbos renum & vesicæ profligandos remedia, hæc tanquam specifica apud authores commendantur: *Diuretica quidem acria salsa* illa sunt: at sive è plantarum genere, sive ex animalibus aut mineralibus arte Chymicâ tractatis depromantur, plurimo turgent sale volatili, acri & mordaci; Sanguinis igitur dissolutionem promovent, terrestres particulas ad renes deferendo, organorum mictioni inservientium subvertunt œconomiam actionemque retardant aut corrumpunt. At, inquies, urinam pellunt? præclara sanè verba ab Agyrtis heu nimiùm ægrotantium damno usurpata! Longè aliter sentiunt artis periti; & verò renes occupat inflammatio, eorum tenduntur fibræ aut vis colatoria præpeditur? Quid à *Diureticis* expectandum, nisi irritationis & crispaturæ fibrarum augmentum? Vis *elastica* vesicæ ab ipsius fibrarum extensione nimiâ deperdita est? *Diuretica* seri uberioris accessione, vesicæ fibras eò usque extendent ut ipsius actio eorum usu nunquam veniat restituenda. Adest ulcus in renibus, pus nullius odoris in urinis redditur, vesica ab humoris acrimoniâ irritata inspissatur & ad excretionem humoris superflui & noxii frequentissimè & cum dolore acerrimo provocatur? Cucullatos & fumivendulos si consulas, in solo Diureticorum usu positam esse totam his morbis medendi rationem audacter affirmare non erubescent. Sed heu! mortem ægrotanti jam præ magnitudine morbi in extremis posito adhibitis incautè talibus remediis accelerabunt. Non minùs vana est & perniciosa *Lithontripticorum* armatura, quibus ficta & adulatoria calculos in renibus aut vesicâ frangendi vis tribuitur: arenulas enim & calculos quos genuerunt, dum foràs expellere observantur, subsidentes in hisce partibus nova materiæ productione & accessione non sine dolore & cruciatu, in immensum augeri nemo artis peritus negaverit.

V.

UNDE ergò renum & vesicæ morborum solatium & medela? Utere remediis blandioribus, *anodynis*, Sanguinis salia diluentibus, verbo dicam, simplicioribus; Medicina enim, cùm ad naturam maximè accedat, *quò simplicior eò præstantior.* Renum inflammatione aut dolore nephritico affectis sanguis primùm è brachio semel & iterùm mittatur, tùm saphenam seca, potus sit refrigerans & leniens, ene-

mata injiciantur emollientia, *anodyna:* Balneum instituatur donec remissior fuerit intemperies, & arenulæ in ureteribus hærentes foràs amandentur; contentus in rene calculus ejus est molis ut per ureteres expelli nequeat? de salute conclamatum puta, neque *Nephrotomiam* semel solùm tentatam & periculo plenissimam suadeas. Quin & renum ulcus, licèt insanabile, tamen in longum protrahitur vitando acria, diætâ convenienti adhibitâ, usu potuum ex oryzâ, hordeo, amygdalis dulcibus, & seminibus frigidis paratorum, necnon lactis asinini. *Potu tepidæ jejuno stomacho affusæ calculorum generationem prohibebis*, præsertim si à vinis aperientibus abstinere jubeas ægrotantem. At generatum semel & induratum, & alicujus crassitiei contentum in vesica calculum, nonnisi *Lithotomiâ* ritè, magno scilicet apparatu celebratâ curari posse confidas. Procul igitur absint, ut periculosissimæ, aliæ calculorum extrahendorum rationes. Ejuretur imprimis renovata nuper cucullati illius & circumforanei Agyrtæ secandi temeritas, sectoris nota facinoribus, detestata sectis, secandis æternùm detestanda. *Diabetem* sanabis incrassantibus remediis, sanguinis consistentiam restituentibus, renumque fibris *tonum* restituentibus & *elaterem*. In vesicæ inflammatione aut paralysi, in quibus nimis ampliata *tonum* amisit, ut præsentissimum & unicum ferè remedium venæ sectionem pluries celebrare memineris, potiones interim refrigerantes & dolores mitigantes præscribendo. *Cathetere* quoque dexterè in vesicam immisso urina foras extrudatur, partemque affectam proinde exoneret. Quod opus identidem ac repetitis vicibus instituatur dum suus vesicæ fibris redierit *elater*, *tonusque* restitutus fuerit. *Urethræ* obstructionibus adhibeantur quæcumque partem affectam emollire possunt, ejusque suppurationem valent accelerare. Atque hæc est vera ac legitima morbos renum & vesicæ sanandi ratio, quam qui sequutus fuerit experietur securiorem *Diureticorum Calidorum* usu, à quibus tales affectus ingravescunt, non debellantur.

Non ergo Renum & Vesicæ morbis Diuretica calida.

Domini Doctores disputaturi.

M. Hyacinthus - Theodorus Baron.	*M. Joannes-Franciscus Couthier rei herbariæ Professor.*	*M. Antonius de Saint-Yon Medicus Regis ordin. Veteranus.*
M. Joannes Nicolaus de la Hire è regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Joannes - Baptista Mongin Medicus Regis ordinarius.*	*M. Joannes Robert.*
M. Antonius Geoffroy.	*M. Alexander le François.*	*M. Ludovicus Gayant Medicus Regis ordinarius Veteranus.*

Proponebat Parisiis FRANCIS. ANT. LE DRAN Parisinus, Baccal. Medicus. A. R. S. H. 1713.

Ex Typographia JACOBI QUILLAU, Typ. Jur. Lib. Universitatis, in via vulgò dicta *Galande*.